

batur. Quod dicitur de canonizatione sanctorum non est ad rem, ibi enim tantum determinatur de persona, quod sit sancta; de ejus vero actibus solum quæ ibi narrantur probata monstrantur, non alia. Doctrina autem D. Thomæ absolute approbatur, ergo et illa ex quibus talis doctrina constat.

Ad secundam confirmationem, respondetur non esse idem approbare universitates in quibus leguntur diversorum auctorum libri, et sententiæ, dummodo catholici sint, aliud approbare alicujus auctoris doctrinam determinate, et in particulari. Alioquin si confirmatio, et approbatio erectionis alicujus universitatis, esset approbatio doctrinæ eorum auctorum, qui ibi leguntur, ergo et Aristoteles pro philosophis, et Avicenna, aut Galenus vel Hippocrates pro medicis et Euclides pro mathematicis et alii similiter pro aliis facultatibus, qui in erectione universitatis continentur essent approbati per Sedem Apostolicam, non enim est major ratio de his, quam de theologis, seu auctoribus theologicæ facultatis. Ergo cum erectio universitatis approbatur a Sede Apostolica, fundatio illa pro doctrinis honestis legendis commendatur, et instituitur, auctores vero qui ibi leguntur nihil auctoritativæ approbationis ex vi erectionis illius habent a Sede Apostolica, sed tantum permissive, quia in scholis legi permittuntur, non vero sine errore scripsisse, aut ex cœlesti infusione dicuntur, sicut de D. Thoma in speciali docet Ecclesia. Ergo ad approbationem auctoritativam doctrinæ, seu librorum alicujus auctoris a Sede Apostolica, parum conducit erectæ universitatis approbatio in qua diversorum auctorum cathedræ instituuntur.

Ad quartum, respondetur retractasse D. Thomam aliqua ex his quæ junior scripserat, ut manifeste cons-

tat in aliquibus loci summæ, de quo articulo sequenti. Nec mirum quia D. Thomas canonicus scriptor non fuit, et ideo ita fecit. Si autem ipse retractat, utique non contradicit sibi, sed sententiam mutat, et ita ad ultimum judicium ejus respiciendum est, illudque tenendum, nec inde potest sumi exemplum, ut nos illum emendemus, aut deseramus, quia potius si hæc pauca retractavit, quæ in suis operibus vidit tam accurate esse dicta, reliqua quæ non retractavit, firmavit. Et S. Augustinus quam multa ex prioribus suis opusculis retractaverit, docent duo libri retractariorum ejus, nec tamen propterea contradicit sibi, aut deserendus est in his quæ non retractat.

Dices: Quomodo ergo salvatur S. Thomas cœlesti infusione opera sua perfecisse, ut dicitur in bulla canonizationis ejus, si aliqua dixit, quæ retractavit, quæ enim infusione divina dicuntur, nunquam veritate carent, atque adeo, nec retractatione indigent. Respondetur in verbis Joannis XXII, ponderandum esse, quod dixit non sine divina infusione perfecisse scripta sua, non autem absolute ea scripsisse, aut dixisse. Perficere autem est consummare, et ita consummatum, et ultimum judicium, vel in quo semper perseveravit D. Thomas intelligendum est non sine speciali infusione fuisse non quidquid unquam docuit, aut dixit. Et in his quæ habentur ex divina infusione est latitudo, nam aliquando habentur per expressam revelationem, aliquando ex instinctu occulto: « Quem etiam nescientes humanæ mentes patiuntur, » ut ex S. Augustino super Genesim ad litteram c. XXVII, docet S. Thomas 2-2, q. CLXXI, art. v. Et quando fit per expressam revelationem, maximam habet certitudinem ut ibi inquit D. Thomas. De his vero quæ divino ins-

tinctu cognoscuntur, subdit ibi: « Non omnia quæ cognoscimus divino instinctu, sub certitudine prophetica nobis manifestantur, talis enim instinctus est quoddam imperfectum in genere prophetiæ, et hoc modo intelligendum est verbum Gregorii, quod ne error ex hoc possit accidere, per Spiritum Sanctum citius correcti, ea quæ vera sunt audiunt, et semetipsos, quia falsa dixerunt, reprehendunt. » Sic Div. Thomas. Unde patet, quod quando interiori instinctu fit divina directio, permittitur quandoque mens labi, ac deseritur, sed tamen ne error accidat, corrigitur citius per Spiritum Sanctum et datur locus retractationi. Sic ergo potuit non sine speciali infusione ab instinctu Spiritus Sancti regi Divus Thomas, et ab eodem corrigi per retractationem in aliquibus, ne error accideret, sed omnia remanerent sine ullo prorsus errore.

Ad id vero, quod dicitur de multis, et magnis discipulis D. Thomæ, qui ipsum deserunt, quod argumentum aliqui granditer urgent in solatium suum, ne videantur discipuli D. Thomæ non esse, etsi in multis ipsum deserant, respondetur hoc nihil efficere contra nos. Et in primis non facile est credendum passim accumulantis tam multas opiniones insignium Thomistarum in quibus a D. Thoma recedunt, sed ipsi eorum libri consulendi sunt, in quibus apparebit pauciora fortasse esse, aut non magni momenti, in quibus recedunt ab eo, et fortasse licet in re recedunt, non tamen ex sententia, sed potius interpretando sensum doctoris sancti et putantes se legitimum eligere. Ad hæc, exempla ista Thomistarum ad duplicem finem adduci possunt. Primo, ad persuadendum, non esse omnes D. Thomæ assertiones approbatas, ut certas, et infallibiles præ aliis doctrinis, si quidem assertiones D. Tho-

mæ etiam a suis discipulis deseruntur. Et ad hoc parum refert quod deseratur, vel non deseratur a suis discipulis, constat enim non esse approbatam ejus doctrinam per modum approbationis definitivæ de fide, et sic potest impune deseri hæc vel illa opinio a quolibet sive non Thomista. Unde quoad hoc punctum impertinens est illa probatio; imo etiam si a nullo Thomista in aliqua sententia desereretur, adhuc per hoc non poterat reddi certior doctrina D. Thomæ; ergo quod ab aliquo, vel aliquibus deserantur aliqua opinioniones D. Thomæ sive a Thomistis, sive non Thomistis, nihil amplius probat, quam nullum obligari sequi omnes opinioniones D. Thomæ quia opinioniones sunt, hoc tamen non tollit esse probabiliores, et meliores ex tanta Ecclesiæ approbatione.

Secundo, potest hoc adduci ad persuadendum posse multos esse veros, et legitimos Thomistas onere, et obligatione sequendi D. Thomam in omnibus. Et res ista aliquantum puerilis videtur, et magis contemnenda, quam ventilanda, licet aliquid de hoc attingemus sequenti disputatione. Solum adverto habendam esse in hoc rationem temporis, nam quod aliqui ex Thomistis olim aliquas opinioniones D. Thomæ deseruerint, non est mirandum, cum nondum ita ventilatæ, et disputationibus essent ad vivum depuratæ, et sic ex defectu disputationum, et profunditate difficultatum forte in aliquibus D. Thomæ mentem non sunt assecuti, sed recesserunt ab ipso; neque decretales istæ Sedis Apostolicæ, quæ ita abundanter nos securos reddunt de doctrina D. Thomæ illo tempore prodierant sicut a temporibus sanctæ memoriæ Pii v, usque nunc, et ideo sicut a Pio v, celebritas doctoris sancti et commendatio ejus valde aucta est, et

deinde amplius per Clementem VIII, et Paulum V, ejusque doctrina proximioribus disputationibus est eventitata, sic ab eo tempore strictius observatum est, ne in aliquo contraveniretur doctrinæ ipsius a D. Thoma et intra ordinem Prædicatorum ea de re lege sanctiori cautum est, ideoque a temporibus Pii V, scriptores, et magistri, qui ex hoc ordine prodierunt non inveniuntur in aliquo aperte discedere a doctrina, quam constat esse D. Thomæ; si quid vero affertur de auctoribus ante illud tempus (nam hi solum in exemplum adducuntur ab his qui id scrutati sunt) in paucis, aut parvi momenti a D. Thoma recesserunt, aut certe putaverunt intelligendum sensum D. Thomæ, aut ob rei difficultatem, et nondum disputationibus deputatam veritatem, sic cesserunt. Nec est mirum crevisse successu temporum hanc S. Thomæ venerationem, sicut et in aliis illustribus viris accidit. Aristotelica doctrina nunquam in tanto pretio est habita, sicut istis postremis quadringentis annis. Hieronymi versiones in Scripturam, quæ suo tempore non omnibus placebant, feliciter postea toti Ecclesiæ placuerunt. Unaquæque res, non statim cum tota sua dignitate, et æstimatione nascitur, sed augetur. Et hæc est magnæ virtutis infelicitas (an potius felicitas) alio sæculo nasci, alio æstimari.

Ad quintum, quod est Durandi, et a multis obvia mente excipitur, respondetur non esse comptæ urbanitatis sic velle tractare, et honorare virum aliquem magnum, sicut ipse loquitur de se, aut tractat se præsertim cum humilis sit, et modestus. Numquid, quia aliquis juxta Christi Domini consilium recumbit in novissimo loco, non est invitandus, ut ascendat superius, ut sit ei gloria coram discumbentibus. In

hoc ergo sapientiæ convivio S. Augustinus et S. Thomas (id etiam multi alii sacri doctores) elegerunt ex sua humilitate in novissimo loco sedere, et suam doctrinam non tam magnifice prædicare, sed non sic a patrefamilias permissi sunt sedere in loco convivii, sed ad primos acubitus sublimati sunt. Nunc autem cum Ecclesia catholica ipsorum doctrinas ita cumulate prædicaverit, et approbaverit, insipienter ex verbis humilitatis eorum æstimare debemus doctrinam, magis autem respicere ad verba Ecclesiæ eam nobis commendantis unde omnium catholicorum doctorum auctoritas præsto est.

Cæterum non sumus hac solutione (etsi sufficientissima) contenti, sed magis volumus rem hanc ad plenam deducere justitiam, nec soli urbanitati remittere. Et in primis, qui ex S. Augustini libris aliquid tamquam minus verum vellicare præsumpserit, moneo duo. Primum, nos non defendere S. Augustinum quomodocumque sed a se correctum, et emendatum, sicut ipse correxit et retractavit opuscula omnia sua in libris retractationum, et ita qui loca S. Augustini citant in quibus dicit aliqua se habere, quæ merito displicere possunt, vellem mihi assignarent locum S. Augustini qui post opuscula sua retractata, et emendata id dixerit, sed non inveniunt. Secundo, moneo ut potius regulam ipsius S. Augustini sequantur qui in libro de bono perseverantiæ, cap. xxiv, quem in ultima fere ætate edidit, ideoque de ipso in retractationibus non meminit, sic inquit: « Qui errare me existimant, etiam atque etiam diligenter, quæ sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent. » O vocem magnificam, vocem cœlestis magisterii, plenam judicii, et veritatis! Quam multi in sanctorum doctorum

etiam S. Augustini et S. Thomæ doctrinam impingunt, quia non etiam atque etiam considerant, sed leviter transeunt, et errores accumulunt ex levitate, cum fortassis ipsi errent.

Igitur S. Augustinus in lib. II ad Vincentium Victorem, qui est IV de anima et ejus origine, cap. I sic inquit: « O si illa reprehenderes quæ ista reprehensione sunt digna. Neque enim negare debeo, sicut in ipsis moribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quæ possint justo judicio, et nulla temeritate culpari. » Hic est locus, qui a Durando citatur, et hæc sunt verba S. Augustini, ubi si non aliter culpanda est Augustini doctrina, quam mores ejus, quis non videat etiam confessionem hanc magna veneratione dignam, nec ex ea nævum aliquem contraxisse doctrinam, sed addidisse gratiam. Ille ergo in opusculis S. Augustini (præsertim jam ab ipsius retractatione emendatis, et ab Ecclesia commendatis) aliquid reprehensione dignum proferat, qui in sanctissimis ejus moribus aliquid indignum invenerit, et cui sine peccato est, primus in illum lapidem mittat. Omnia post retractationes, in S. Augustinum defendi possunt si pium, et attentum habeant lectorem.

Circa deinde S. Augustinum in præmio, lib. III de Trinitate cujus verba sic se habent: « Verumtamen sicut lectorem meum nolo esse mihi deditum ita correctorem nolo sibi. Ille me non amet amplius, quam catholicam veritatem. Sicut illi dico: Noli meis litteris quasi canonicis Scripturis inservire, sed in illis, et quod non credebam cum inveneris incunctanter crede, in istis autem quod certum non habebas, nisi certum intellexeris: Noli firmiter retinere; ita illi dico: noli meas litteras ex tua opinione, vel conventionem

ex divina lectione, vel inconcussa ratione corrigere. Si quid in eis veri comprehenderis existendo non est meum, ac intelligendo, et amando, et tuum sit et meum. Si quid autem falsi conviceris, errando fuerit meum, sed jam cavendo, nec tuum sit, nec meum. » Sic S. Augustinus. In qua auctoritate illud vellem ponderari ab omnibus, quod si locus iste citatur, ut qui S. Augustinum legunt non ei credunt quasi canonico libro, sed juxta rationum monumenta, et certitudinis fundamenta, *cur non etiam citatur ad hoc ut qui contradicunt sive ipsi, sive D. Thomæ non contradicant neque deserant, nisi ex auctoritate divina, aut inconcussa ratione aliquid probent* (quo solum casu permittit se corrigi S. Augustinus) non ex sua opinione, aut ex contentione? Et hoc est quod unice optamus, ut S. Augustinus vel D. Thomas deseritur, non præ aliis opinionibus, non pro contentione, aut æmulatione impugnetur, sed si aliqua inconcussa ratione, id est, manifesta, aut ex auctoritate divina aliquid contra eorum doctrinam evincitur tunc jure optimo deserantur, aut corrigantur, et non aliter.

Denique, citatur locus S. Augustini, ex epistola XIX ad D. Hieronymum ubi inquit: « Ego fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo, aliquid errasse firmissime credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, doctrinaque præpollent, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi, vel per illos auctores canonicos, vel probabili ratione, quod a vero non abhorreat, persuadere potuerunt. » Sed hæc auctoritas nihil nobis obstat, quis enim libros S. Augustini vel S. Thomæ ut

canonicos proponit? Quis eorum dicta, ut credenda solum, non ut probantia, et ratione, discursuque persuadentia acceptari cogit? Accipiat ergo Div. Thomas quod vel auctoritate divina, vel probabili ratione persuadet, et inter probabiles discursus, et probatiores, quia ita ab Ecclesia commendantur, et approbantur, ut vidimus.

Locus S. Augustini ex epistola VII ad Marcellinum non cogit, dicit enim sic: « Vos qui me multum diligitis, si talem me asseritis adversus eos quorum malitia, vel imperitia, vel intelligentia reprehendor, ut me nusquam scriptorum meorum errasse dicatis, frustra laboratis, non bonam causam suscepistis; facile in ea me ipso iudice superamini, quoniam non mihi placet quando a charissimis meis talis esse existimor, qualis non sum. » Nos ergo, qui pro summa felicitate optaremus inter S. Augustini non dico charissimos, sed vel minimos servos reputari, in primis tam insignem sanctissimi doctoris modestiam quam multum instruimur, admirantes, dicimus S. Augustinum loqui in illa epistola ante quam suas ederet retractationes, ut aperte paulo ante illa verba dixerat; tunc autem post S. Augustinum ab S. Augustino correctum, et retractatum, post librorum ejus a Cœlestino I laudatam pietatem, post commendatam doctrinam ab Hormisda, a Joanne II, ab universa Ecclesia, defendendo ipsum ab omni errore, non jam existimamus ipsum esse qualis ipse non est, sed qualem illum nobis exhibet Ecclesia: Quem nunquam falsæ suspicionis rumor aspexit. Idem de fidelissimo ejus discipulo S. Thoma asserimus: Qui sine ullo prorsus errore scripsit, Sede Apostolica testificante.

ARTICULUS V.

Quem inter cæteros libros summa D. Thomæ locum dignitatis habeat.

Vix de hac re dubium aliquod esse posset, si sola traditione communiter acceptata vellemus esse contenti. Etenim communis traditio est D. Thomam summam theologiæ, ultimo vitæ suæ tempore composuisse, eamque quasi ultimum doctrinæ suæ testamentum delegasse, libros vero sententiarum illustrasse commentariis cum ad magisterii lauream Parisiis legeret, sicque doctorem se ipso factum, in aliquibus summæ locis meliorasse sententias. Ut Cajetanus notat multis in locis præsertim III p. qu. VI, artic. VI, in calce commentarii Ferrariensis, III contra gentiles, cap. CII §. Ad argumentum autem, Petrus Bergomensis in concordantiis tabulæ aureæ, Possevinus in apparatu D. Thomæ de Aquino, et constat ex ipsa historia vitæ ipsius affixa in initio operum ejus, et ex omnibus fere commentatoribus, ac discipulis. Denique, quidquid sit de ordine temporum in disponendis, et edendis libris, tamen hunc librum summæ theologiæ, primas sibi vindicasse, et maximam conciliasse inter omnia opera D. Thomæ auctoritatem apud sapientes, et insipientes ita notissimum est, ut otiosum sit in probationem id deducere, ut proinde oleum, et operam manifeste perdant, quicumque tam fundatam in omnium animis sententiam revellere nituntur. Ut autem eorum dubiis, seu scrupulis satisfaciamus, et veritatem firmemus.

Sciendum est, huic dubitationi ansam præbuisse Vincentii Bellovacensis scriptum, quod speculum mortale inscribitur, in quo omnia fere, quæ de virtutibus, et vitiis tractat D. Thomas 1-2 et 2-2 et eodem ordi-

ne, ac stylo inveniuntur, etsi magis in compendium articuli sint redacti, Vincentius autem præcessit tempore D. Thomam et sic videtur D. Thomas ab eo mutuasse illam partem. Quod si hoc durum videtur, et potius asserendum est Vincentium mutuasse a D. Thoma necessario infertur D. Thomam nimis juvenem composuisse suam summam, ut posset a Vincentio videri. Vidit hanc difficultatem primus, ut opinor, Fr. Franciscus Garcia in correctione partium S. Thomæ ad finem, ubi affirmat apertissimum esse, D. Thomam a Vincentio mutuasse fere omnia, quæ ad illas partes spectant, eo quod ut ipse existimat, Vincentius obierit anno 1240, D. Thomas autem triginta quatuor annis post scilicet 1274. Non potuit autem D. Thomas cum obierit quinquagenarius edere suam summam ante obitum Vincentii. Eandem excitavit dubitationem cardinalis Bellarminus, libro de scriptoribus ecclesiasticis in D. Thoma, cumque adduci non possit, ut credat D. Thomam a Vincentio mutuasse, sentit non illud speculi moralis a Vincentio Bellovacensi, sed ab alio Vincentio juniore fuisse editum. Et consentire videtur Bzovius, anno Christi 1250, ubi agit de obitu Vincentii. Alii vero dixerunt absolute D. Thomam prius composuisse suam summam, deinde senem in quatuor libros sententiarum scripsisse. Ita insinuat auctor elucidarii Deiparæ in defensione Cantabrica oblata sanctissimo domino nostro, fol. 162, licet ipse id non sequatur, sed tamquam aliorum opinionem referat. At pro ista opinione stat Shirlogius in anteloquiis Canticorum, anteloquio II, sect. III, n. XIV.

Nihilominus duo in hac parte mihi dicenda videntur. Primum, non scripsisse D. Thomam suam summam priusquam commentaria in

libros sententiarum. Secundum, potuisse optime Bellovacensem speculum suum morale conficere ex his quæ D. Thomas posuit in 1-2 et 2-2 suæ summæ, eamque vidisse.

Prima pars constat argumento evidenti, et ut tale iudicatum est ab ipso auctore elucidarii in defensione illa supra relata, pag. 164, § Tandem manifeste. D. Thomas in summa expresse affirmat se retractare id quod alibi scripserat, et senserat loquens de præterito, et hoc invenitur scriptum in sententiis, et non alibi, ergo scriptum sententiarum prius tempore fuit, quam summa. Consequentia est manifesta, quomodo enim potuit retractare rem jam scriptam de præterito, si illam scripsit postea. Antecedens manifestum est, nam in primis III p. qu. IX, art. IV loquens de scientia acquisita animæ Christi, dicit doctor sanctus: « Et ideo quamvis aliter alibi scripserim, dicendum est in Christo fuisse scientiam acquisitam. » Hoc autem alibi ita scriptum, extat in III sentent. dist. XIV, quæst. III, artic. III nec alibi ita reperitur. Item III par. quæst. LXX, art. ubi refert opinionem dicentem quod gratia collata in circumcissione non valebat ad resistendum omni concupiscentiæ: Quod etiam, inquit, aliquando mihi visum est, sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum, etc. » Hoc autem sibi visum est in quarto dist. I, quæst. II, art. IV. Item I p. quæst. XXXVI, art. IV, ad VII relata opinione, quam secutus fuit in primo dist. XI: quod Pater, et Filius sunt duo spiratores, et non solum duo spirantes, rejicit illam, dicens: « Sed melius videtur dicendum, quod sunt duo spirantes, sed non duo spiratores. » Item in tertio dist. XXXIV, quæst. I, art. II distinguit inter dona Spiritus Sancti quæ sunt in intellectu, quod alia perficiunt partem speculativam, ut